



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


**Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Urbibus, Templis,
Bibliothecis, et aliunde**

Sweerts, Pierre François

Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.

Vlyssibonae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69234](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69234)



LVSITANICA.

IN AEDIBVS RESENDIANIS EX-
TANT DVO CIPPI CVM HIS IN-
scriptionibus.

IVLIANVS famulus Christi, Episcopus Eccle-
się Eborensis, hic situs est. Vixit ann. plus minus
LXX. Requieuit in pace, Kalend. Decemb. an-
no Natal. Domini 566. Era D C. IV.

ALTER EST HVIVSMODI.


Depositio PAVLI, Famulus Dei. Vixit ann. LI.
Requieuit in pace Domini III. Id. Mart. Anno sa-
lut. 544. Era D. LXXXII.



E B O R A E.

DIUO ANTONIO AEGYPTIO, sanctissimo
Monachorum Archimandritę sacrę, HEN-
RICVS Diui Emmanuelis, Lusitanie Re-
gis, pij, felicis, inuicti filius, Sanctę Romanę Ec-
clesię Presbyter Cardinalis, primus Eborensis Ar-
chiepiscopus priore diruto, nouum hoc structu-
ra, formaque augustiore religionis ergo erexit.

Diuo ANTONIO ARCHIMANDRITÆ san-
ctiss. sacrum.



VLYSSIBONAE.

IN S. CRVCIS ECCLESIA.
Ossa MICHAELIS sunt hic tumulata CABED,
Quem legum & iuris docta caterua gemit.

Flore

*Florentem studijs, genere, haud atate labantem
 Mors tulit humanis inuidiosa bonis.
 Caesarum iudex, inter quos regia honorat
 Curia, praeclarum nomen adeptus erat.
 Cingebat gemina (quod rarum est) tempora lauro,
 Inq; forum Phœbum, Castalidasq; tulit.
 Gloria sed maior morum est & vita probata,
 Qua nunquam à recto deuia iure fuit.
 Ergo cadauer humo requiescit, ad astra volauit
 Mens iusta, & isti iudicis ora videt.
 Obijt anno M. D. LXXVII.*

D. O. M.

*Epitaphium honorarium incertae positionis.
 Externis quicumq; veni peregrinus ab oris,
 Auriferiq; intras ostia magna Tagi.
 Siste ratem, mœstiq; vide monumenta doloris,
 Si vacat, & nostris fletibus adde tuos.
 Hic iacet ereptus primeuo in flore iuuenta
 IOANNES, regni cura dolorq; sui.
 Si faciem & mores si quis consideret annos,
 Dignior aeternum viuere nemo fuit.
 Visum aliter superis, quos plus iuuat ardua semper
 Casibus, & subitis implicuisse malis.
 Si quid amas, nolis nimium placuisse, senectam
 Vix vnquam summis fata dedere viris.*

ALIUD.

*Lusitanorum columen, nostraq; sepultam
 Spem libertatis, continet hic tumulus.
 Hic iacet egregij soboles praeclara IOANNIS,
 Ille nepos magni Caesaris, atq; gener.*

X 4

Vix

*Vix decimum aetatis, sextumq; expleuerat annum,
Vix pubertatis tempora transtulerant.
Iniecit mors saeva manum, tantoq; repente
Priuauit miseros Principe Lysidas.*

DE GYMNASIO IN PALATIO
CONIMBRICAE.

*Regum olim hac fuerat, Musarum regia nunc est,
Esse vsquam melius non potuere Dea.*



GERMANICA, ET
FINITIMA.

VIENNENSIA.
IN VIENNAM IUL. CAES.
SCALIGER.

Aspice barbaricis qua propugnacula bellis,
Qua stet fulmineis machina torua pilis:
Aduersus spurium, qua fortia pectora, Turcam
Apparet intrepida Norica dextra fide.
Illa igitur validis assultibus irrita fudit
Prælia, que capto fecerat hostis agro.
Quin etiam patrij demissis turbine celi
Auxilij's largo perpluit imbres polus.
Qualia regna putes, numen quibus excubat armis?
Nonne Dei est, pro quo pugnat & ipse Deus.

CHRISTO O. M. ET MEMORIAE
AETERNÆ.

D. N. FERDINANDO felici, pio Aug. Germ.
Pannonico, Bohemicoq; q; is originis & principatus
sui hæc Metropolim præter arma cõsilijs & ma-
nimentis iuuerit, ac inter cætera hæc ingentis sum-
ptus